

- Argentata pennula colunbe pallore
 Auri, mox albedine Selmon in nitore ¹
 170 Clerus venerabilis stabit cum decore.
 Dire lector! noveris stabili tenore:
 Si sit ducis ducere recte vel sincere,
 Facere pontificis si sit pontem vere,
 Non est dux vel pontifex veritatis mere:
 175 Veneunt altaria, sacrum datur ere;
 Lepram Syri presules hodie mercantur ²,
 Qua prelati nobiles seve maculantur:
 Quod habenti dabitur ³, litteram sectantur,
 Non habenti spoliū prorsus conminantur.
 180 Usus et translatio de proprietate
 Distant: ergo iudices, perspicuitate ⁴
 Littere si polleant et diversitate,
 Paleam cum tritico ponent segregate ⁵.
 Si non ceci complices ruent simul moti,
 185 Nulla stat curatio morbi, nisi moti
 Qualitatis species noscant, atque toti
 Suo queque ⁶ congruant partes ⁷, sue doti
 Ex non non dissenciant, ne sint ut sus loti ⁸,
 Cum pressura similis plebs sit sacerdoti.
 190 Querelarum strenuus iam determinator
 Cunctis instat — credite — durus tribulator
 Terre, fert Ezechiel ⁹; Ogog habitator
 Umbilici fieri volet, sed vastator
 Montibus Iherusalem atroxque vorator
 195 Surget et predabitur fortis hic predator.
 Hunc plerique nausiant temporis instantis,
 Si, quod ego, saperent, virga tribulantis
 Nosco manus, digitos, quippe plagam ¹⁰ dantis,
 Affuturum crederent, nempe iam bellantis.
 200 Dura me captivitas circumseptum ¹¹ dedit
 Trium fere mensium: tempus non obedit,

1) 'in nitare' Hs.; vgl. Psalm. 67, 14 f.: 'Si dormiatis inter medios cleros pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri. Dum discernit caelestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon'.
 2) Vgl. 4. Reg. 5, 14 ff. 3) Vgl. Math. 25, 29: 'Omni enim habenti dabitur'. 4) 'perspecuitate' Hs. 5) Cf. Math. 3, 12. 6) 'quique' Hs.
 7) 'patres' Hs. Cf. Innocentii III. epist., Decr. Gregorii IX. l. IV, tit. 4, c. 5: 'Ne vero turpis sit pars, quae suo non congruit universo'. 8) 'loci' Hs. Cf. 2. Petr. 2, 22. 9) 'Ezechiel' Hs.; vgl. Ezech. 38, 12. 16 ff.
 10) 'plaga' Hs. 11) 'circumspectum' Hs.